

gente sua, quam semper habuit perquam sibi deuinctam atque dilectam.

Cum uero Lydia a pueritia ac adulescentia ad dilecta nec non exoptata uxoris atque matris munera explenda peruenit, deinde ad uitae maturitatem, natiua et iam adaucta huiuscemodi bonitas praeter modum ampliora incrementa suscepit, uelut meridiana ac uespertina lumina matutinam auroram insequentia. A uero aberrare non opinor eos qui censeant Deum ei dedisse “latitudinem cordis quasi arenam quae est in litore maris” (*III Reg. 4, 29*). Quod uoluit assecuta est; quod sibi faciendum proposuit, in rem et usum uitae, multis saepe mirantibus, deduxit.

Impressa est mentibus nostris ac numquam labetur materna eius imago, dulcis at sincera maiestas, quae tanto uenerabilior uidebatur quanto blandioribus muliebrem dignitatem uestiebat radiis humilitas.

Multa Lydia nobis reliquit quae collaudemus, multa quae imitemur: eximiam in orando Deo pietatem, admirabilem in sacris adeundis adsiduitatem, indefessam operam in transigendis negotiis, singularem laboris tolerantiam, candidam morum simplicitatem, in liberis, proximis, indigentibus adiuuandis actuosam sedulitatem, usque ad extremum uitae halitum se impense deuouendi indefatigabile studium.

In sustinenda quoque morte placida eius et illabefacta fortitudo prorsus patefactast. “Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius” (*Ps. 115, 15*): mors scilicet incorruptibilis uictoriae consummatio, immortalis uitae ianua, indefectibilis securitatis ingressus. Et cum e terris discederet, negligens aspera sua, nostra cogitabat, uere filiis amanda et amabilis Mater. Reipsa nos tum sancte uiuere tum sancte mori sublimi exemplo perdocuit.

Nisus sum in inferiarum explendo filiali munere super mutum atque lacrimabile sepulcrum Matris desideratissimae epitaphii flores spargere. Attamen quam imparem me profiteor conlato a memet ipso officio digne laudandae tantae Matris, a nobis ereptae, maestique stipendii lacrimarum soluendi!

Abiit, non obiit: “non reliquit illa nos sed antecessit” (Sen., *Cons. ad Polybium*, 9, 9). Viuit et uiuet in nostra memoria Lydia: ubiuis festiua ac beniuola caritas excoletur, ubi actiosa erga parentes, proximos, pauperes beneficentissima pietas exquiretur, ubi aspera hominum corda semper conecet pretiosa concordia. “Semper honos nomenque *eius* laudesque manebunt” (Verg., *Aen.* I, 609).

Tuque, Mater dulcissima, adsecuta sabbatum magnum sanctorumque consortium, memor esto nostri!

Aue aeternumque aue, Mater dilectissima! Sit in Sion locus tuus et in aeterna Ierusalem habitatio tua, ubi lux perpetua luceat tibi, ubi pacis compos sis sine fine beatae.

Aue aeternumque aue!

RENATVS

filius addictissimus, inextinguibili maerore adfectus

Blanzati, apud Vercellas, die XXI mensis Ianuarii, a.D. MMXVIII, abeunte anno ab obitu Matris desideratissimae